



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd in die iudicii duo ordines in quatuor diuidantur. cvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod in die iudicij, duo ordines in quatuor diuidantur. Caput CVI.

Dux sunt differentiæ vel ordines hominum in iudicio, *Ex diſtis*
hoc est, electorum & reproborum. Qui tamen diuidantur in quatuor. Perfectorum ordo vnus est, qui cum Deo iudicat, & alius qui iudicatur. Vtrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum pariter in duo: dum hi qui intra ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt, & damnandi. Qui verò extra ecclesiam inueniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantùm damnandi. Primus igitur eorum ordo qui iudicantur, & pereunt, opponitur illi ordini bonorum de quo sunt qui iudicantur & regnant. Secundus ordo eorum qui non iudicantur, & pereunt, opponitur illi ordini perfectorum qui sunt hi qui non iudicantur, & regnant. Tertius ordo eorum qui iudicantur & regnant: illi ordini contrarius est de quo sunt qui iudicantur & pereunt. Quartus ordo eorum qui non iudicantur & regnant: opponitur illi contrario ordini qui illi sunt qui non iudicantur & pereunt. Gemina punitur sententia impius: dum aut hic pro suis meritis mentis cæcitate percussitur ne veritatem videat, aut dum in fine damnabitur, vt debitas pœnas exoluat.

Quod liber vitæ sit ipsa visio aduenientis iudicis: quia quicquid quis fecerit, ipso viso statim intelliget. Caput CVII.

Libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vita: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. Liber nanque vitæ est ipsa visio aduenientis iudicis. In quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quicquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur: quia iustorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cœlestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris: quia in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum, legunt bonum quod agere ipsi noluerunt: atque eorum qui fecerunt comparatione damnantur. Ne ergo vnusquisque tunc videns eos, quod non fecit desceat, nunc in eis quod imitetur, attendat, quod quidam facere non cessant.

*Gregor.
in suis mo
rali. dicit.*